



[Faint, illegible handwriting on a blank page, possibly bleed-through from the reverse side.]



De Geniis

publicè disputabunt,

M. JOH. FRID. SCULTETUS,

&

CHRISTIANUS Steurnagel/

ad d. XX. Martij. clc lcc LIIIX.

H. L. Q. C.

WITTEBERGÆ,
LITERIS IOHANNIS HAKEN.

RESPONDENS

J. Bontz

V I R O

*Admodum Reverendo, Excellentissimo,
Clarissimo*

DN. WVOLFGANGO ERNESTO TÜN-
ZELIO, SS. Theologiae Doctori, Ecclesiae Torgensis
Pastori, & Vicinarum omnium Superintenden-
ti, Comiti Palatino, &c.

ut & reliquis

*Plurimum Reverendis, Doctissimis, & Hu-
manissimis*

V I R I S

DN. M. FRIDERICO SCULTETO, Ec-
clesiae Torgensis Archi-Diacono & Superint.
ejusdem Adjuncto.

DN. GEORGIO Am Ende / Ecclesiae Tor-
gensis Diacono.

DN. M. PETRO Ristenmachers / Ecclesiae
Patriae Diacono.

Dominis, Patronis, & Fautoribus suis
benevolentissimis

*Hoc quicquid est studii,
in grati animi testificationem,
suique commenda-
tionem*

dicat & offert.

RESPONDENS,



I.



Uti tandem de Geniis, re non adeò magni mō-
nēti quidem, accuratè tamen disputare insti-
uat, tria potissimùm advertet. Præcipuum est,
itè formare controversiæ statum. Caput enim
ille est, & scopus omnis disputationis, quem si
quis transit temerè, aut fortè insuper habet,
frustra erit & inanis prorsus in toto discursu.
Potest autem ille vel absolutè, vel etiam com-
paratè poni; absolutè quidem, quando rem simpliciter & ab-
stractè in suo esse considero, ut si quærerem, annon ullo modo Ge-
nij ex naturâ demonstrari, & beneficio mentis à Scripturâ, naturâ-
que cognitione simul abstrahi & definiri comòdè possint, id quod
nemo nostrùm negat. quùm hâc ratione, nescio quid tandem non,
ex naturâ colligi, & demonstrari possit: vel comparatè, quando
nempe ad alios me comparo, & ad antiquos, tùm etiam moder-
nos philosophos progredior, & an illi ex solâ Naturâ Geniorum
existentiam unquam acceperint, ulteriùs quæro. Prius uti verissi-
mum, ita hoc alterum oppidò incertum, ita minus verum quidem
videtur. Et altera tamen positio omninò suum habet locum. Dul-
ce enim est in majorum redire memorias, & quid illi de hoc obje-
cto senserint, repetere antè. Quomodo autem illud, quod præter
Deum revelatum est, & historiam refert, ex Naturâ, aut ut cum
Philosophis loquar, ex merâ ratione innotescat aliis? quùm faci-
lè contrarium ratio ineat; aut nunquam fuisse Deo Angelos,
aut tantùm bonos fuisse. Nam malos Angelos esse, & Deum An-
gelorum auctorem, ratio nostra nunquam conciliabit. Distinguet
igitur alii, nobis minus abnudentibus, inter scientiam psam, ex quâ
Pnevmaticam, & peculiarem de Geniis disciplinam hodie facile
admittimus.

& inter scientiæ istius applicationem, quando Aristotelem, non quidem ex naturâ, sed ab ipso Platone præceptore, viro sacrarum, literarum excellenter docto, addidicisse Angelos & Genios pronunciamus. Namque lux artium & disciplinarum, Naturam sub tenebris quasi sepultam, paulatim iterum resuscitavit. Alterum est, nihil afferre de Geniis aut officiis illorum, nisi expressis simul & additis insuper aliorum Auctorum documentis. Quando enim Pneumaticæ conditores ex effectis, aut externis Geniorum officiis ipsos Genios agnoscendos esse inculcant toties, ita illi, ubi legerint hæc primùm ostendent quoque, aut certas satis rationes in medium adducunt. Aristoteles, quum accepisset à Præceptore esse Genios, contrà quid agerent, ignorabat, orbium cœlestium circumrotationem illis attribuit. Falsò quidem; Fallit enim principium. Quicquid movetur, ab alio movetur; quum omnia ex insitâ quadam vi ac naturâ suâ agant. Licet igitur falsa hæc & supposititia hypothesis haud immeritò ab omnibꝫ habeatur, quo minùs tamen ad asserendam contra negantes Geniorum existentiam allegetur, rationem nullam video. Quia enim res ipsa certissima, idèò medium hoc humanum probandi ex ipso B. Martini iudicio tolerari quidem potest, interim tamen verum non est. Ita illud, quod passim de obsessis circumferunt alii, apud antiquos profus ambiguum, & valdè incertum, at penes nos hodie verissimum idè, imò infallibile penitus; Et primò quidem ostendendum adhuc erat, fuisse etiam in gentilismo frequentes nimis obsessos, & tales, uti interdum se offerunt hodie, & Messiaë tempestate stiterunt palàm. Nam magnum discrimen est, inter Oracula, Ecsticos, Pythones, & obsessos. *Oracula* vel ex specubus, vel etiam per bruta, & ut plurimùm per vetularum mulierum anum edebantur olim. *Ecstici*, rapti velut extra sese, sensuque & metu orbati omni jacebant exanimés, ac ubi ad se rediissent iterum, quæ à Diabolo dictitata illis erant, perorabant. *Pythones* super antro quodam seu ingenti specu sedere, vel tripodis ibidem incumbere, divaricatis cruribus & per pudenda seu immundas partes, quæ honestè nominari non possunt, excipere egredientem Spiritum manticum, vel potius ipsum Diabolum Tales obsessi & correpti à Satanâ responsa dabant, etiam peregrinis linguis, & quidem ex ventre, clauso ore, ac si loqueren-

renrur ex caveâ. Obsessorum præter hos aliorum rara mentio & infrequens, aliqua tamen.

2. Et quid enim opus erat, malum illum genium obsidere, homines adeò, & sibi denuò vindicare, quos jam tum habebat totos. Cui illi omnes sacrificabant, vota solvebant, cui deniq; (quod omnium miserrimum supplicij genus olim) se ipsos mactabant. Illis igitur, quid voluisset amplius? contra, ubi adventus Messiae imminebat, & oracula jam cessare inciperent, & regnum Satanae labasceret valdè, aliam methodum ingressus est: Uti enim iste callidissimus temporum artifex, ita rerum omnium præcipuum habet, in tempore venire; quod ubi extremum ipsi instare, haud obscurè videbat. ideo homines sæpissimè variis modis, intra animum etiam corripuit, torfit, & vivos quasi enecavit, ac sæpe per septem comites, imò vel integram legionem inhabitavit miseros, uti hac de re illa Evangelistarum concio satis abundè testatur. Sed demus verò, fuisse apud gentiles obsessos, & quidem innumeros, quo modo effectus illos explicuerint tamè majores nostri, ostendendum porrò; Licet enim sublevemus illorum ignorantiam, & procedamus hunc in modum; isti effectus obsessorum fuerunt vel à Deo, vel ab Angelis; ideo tamen veritati cognitionis illorum necquicquam accedit, & præterea, nec Philosophica quidem hæc collectio satis, ille effectus non est à Deo, E. ab Angelis, quum possit esse ab aliis causis, quas gentiles non satis capiebant; nam à genere communi ad certam & determinatam speciem argumentari haud licet. Tandem clarissimè omnium deduxit id Vossius, quod veteres per obsessos sæpe alia omnia intellexerint, atque Angelos quidem, aut Genios Socratis illius aut Platonis. Putabant enim, obsessos alios à Melancholiâ, à delusionis Spiritu alios, alios à Deo, vel bono genio, alios tandem à malo iterum agitari, temerarii licet, sibi ipsis persuadebant tamen. Præterea mirari hic subit, quid Plutarcho, viro gravissimo, in mentem venerit, quod oracula ex solius terræ ingenio æstimarit olim, quod etiam, ubi acrius, purius aut Solis radiis magis elaboratius, mentes hominum inde concitatas, & meliora ibi oracula existimabat. Nec aliâ de causâ siluisse denique, quàm quia ut amnes deficere cernimus, ita longâ vetustate vis terræ omni exaruerit tandem.

dem. Quam sententiam, si ipsi sibi debet Plutarchus, mirum, quomodo in tam exiguis principiis substiterit unquam, aut si ab aliis tamen accepit, & hominum mentes inanes, & cœca pectora, ubique videmus. Cœterum, ponamus etiam ejusmodi hominem, qui nihil unquam de Angelis inaudit, & sistamus ei, si placet, obsessum, & quæramus unâ, numne genii illi sint, qui hominem ipsum adeo concitent, & in diversa rapiant? facile ille annuet quidem, at ubi periculum ipse facturus, prius respondeat nobis, hærebit miser, et si plane nihil, aliud tamen in medium afferet. Ultimum est, neque tamen omnia dare aliorum auctoritati. Augustissima res, & divinior quodammodo veritas, atque ut uni & alteri se mancipet totam. Omnibus illa obvia est & aperta, modo quis eruditam simplicitatem afferat secum, & animum recta discendi cupidum. Et si in aliis rebus, ita & hic veritatem ab auctoritate semper abstrahamus oportet. Habet equidem in sacris literis unius asserentis auctoritas tantum momenti, ut ab eadem pendeamus in universum omnes. At in Philosophicis rebus, nusquam Monarchia, sed Aristocratia apud optimos Philosophorum longis annis huc usque obtinuit.

3. At verò nimis operosè præfati sumus, ad aliâ rectâ imus. Et quidem postquam Geniorum existentiam in nuperâ disputatione explicuimus satis, ad quam disciplinam Genij referendi sint, unicè nunc quærimus, ubi denuò triplex sese offert sententiarum agmen. Primum ad Physicam, alterum ad Metaphysicam, ultimum ad Pnevmaticam, seu peculiarem Spirituum disciplinam Genios nostros reducit: Nos rem paucis expediemus. Ad Physicam nullo modo pertinent, Neque enim hic de cōvenientiâ aliquâ aut relativâ quadam consideratione, sed de positivo, essentiali, & vero tractatu agimus. Quando enim Physicus in explicatione illius doctrinæ de Magiâ adducit Genios & Dæmonas, uti vel congregiantur cum Sagis, aut alias res Venereas, cum aliis subinde exercent, id ex accidenti facit, & ut majorem lucem doctrinæ suæ conciliet. Physica enim est scientia corporis natural' s, quatenus naturale est; jam nec corpus habere, nec naturale esse Geniis nostris ullo modo competit, unde rectissimè SPERL. noster statim sub initium institutionum Physicarum hanc de Geniis doctrinam omnem

manem deprecatur. Ita ille. *Omittenda doctrina hæc est. De Physica enim subiecto Angeli ne utiquam participant. Neque enim corpora naturalia sunt, neque ullo modo ad eam spectant. Unam autem hanc semitam dederit physicus. Pneumatici est, exercere se in altiori materia, & quid, quales, quotuplices, aut ubi sint spiritus, oratione expedire dilucida.* Et alibi in MSS. exercitationum physicarum, quum Conimbricensi objectionem sibi proposuisset, quæ est, nisi stellæ ab intelligentiis moverentur, fieri, ut non solum connexio rerum sensibiliû, & intelligibiliû, sive mundi corporei & incorporei non constaret modo, sed neq; ulla fermè via ad investigandas mentes à materiæ concrectione se iunctas Philosophis relinqueretur. Hæc enim eos potissimum ratio ad illorum cognitionem duceret, tunc respondet. *Falsum est, connexionem rerum sensibilibus & intelligibilibus istud intelligentiarum inferre officium. Non eæ cum mundo connexæ sunt, & nec causarum universalium, nec particularium agunt vices, nec etiam ut partes mundi attendendæ sunt, sed & peculiaria entia sunt, & ad peculiarem disciplinam spectant. Falsum est, Philosophis ad intelligentias investigandas non relinquere viam, sublato illo munere fictitio. Testantur de iis spectra, Magi, Spiritus familiares, & obsessi, & quid si non adessent rationes hæc? Non quicquam detrimenti hinc capiet Physica, si vel maxime intelligentias non intelligat Physicus.* Clarissima omnia, & quæ SPERLINGIUM nostrum satis referunt, Et profectò, nullam ego hæcenus rationem video, unde quis inductus Angelos & Genios pertinere ad Physicam intelligat, nisi fortè antiquam illam probet iterum, habere corpora Genios. Licet autem Patrum quidam ita locuti sint. comparatè tamen, & in respectu ad DEUM ab illis id factum aliunde scimus. Et si hæc mente adversarii sententiam suam proponerent, res integra esset & salva. At verò illi, uti sunt Goclenius, Vorstius, & alii, corporeos esse Genios, revera & statuunt ita, & credunt. Atque id ut eò magis obtineant, primò quibusdam distinctiunculis rem agunt, quæ tamen adeò intricatæ sunt & tenebrosæ, ut novis iterum distinctionibus opus esse videatur. Quod enim semel falsum, illud nullâ distinctione restitui potest; Et præterea ingenuæ & apertæ mentis est, uno ore, quid sentias, eloqui & si fieri posset vel uno verbo. Habent tamen adhuc aliquas rationes, quibus sententiam suam infirmam

nam

mam satis suffulciant. Primò dicunt, nisi Angeli essent corporei, cur toties in Scriptura S. ab aliis dicerentur vel visi, vel etiam palpati. Aut igitur Scriptura S. fallat, aut prius erit asserendum. Verùm benè habet, nam qui ita sentiunt, intelligunt vel Angelorum corpora propria, & à naturâ ipsis competentia, qualia nusquam habent, vel aliunde, seu viva, seu mortua, sive ex elementis formata, & per *ὀνομασίαν* assumpta, & hæc Angelis nos ipsi attribuimus, non autem sequitur exinde, illos statim esse corporeos, aliàs jam dudum ipse Deus habuisset corpus, ut qui in veteri Testamento non semel Angelum egit, & homo hominibus apparuit. Quia tamen illa unio accidentalis saltem fuit, ideò & hoc absurdum expirat iterum. Pergunt secundò, & generare Angelos excipiunt, ac multa hujus rei enumerant exempla, ut si non rei veritate, multitudine tamen aliquid obtineant, aut quia ipsi inani prolixitate delectant toties; Nos respondemus, esse id Angelorum generare falsissimum. nam destituuntur Angeli corporibus, destituuntur semine, destituuntur sine generationis, in quem finem generarent Genij, an ut multiplicarent se invicem? sibi ipsis sufficiunt tamen; an ne forte interiret Angelorum species? Sed hæc iterum necessaria non est, quot enim Deus, & quotuplices voluit Angelos, tot etiam creati sunt. Obvertunt tertio ustibile illud infernale, quod, quia secundum illorum sententiam, materiale est, quomodo in Spiritus, aut animas ageret? Respondemus, quomodo illud non ageret in animas, annon anima divitis illius epulonis flammam ejusdem experta satis est? Deinde, qualis infernalis ille ignis futurus sit, sub iudice adhuc pendet, nos ita habemus, quoniam omnia in altero illo die decretorio futura miraculosa, ita facillè faciet Deus, ut temerariam istam defectionem non impune ferant mali Genii. Ultimum, quod excipiunt, commune illud est, posse tamen extendi Genios; quibus respondemus, distinguendum esse inter extensionem entitativam, qua totum est in toto, remota quantitate, & quantitativam, quæ ponit partem extra partem. Si posteriori modo extenderent se Genij, obtinerent adhuc aliquid adversarij, nunc quum hoc non sit, sibi habeant, quod confundant distinctissima. Præterea ex Euclide certum est, idem corpus quod est in loco, posse esse in quovis alio

alio æquali, nempe si corpus impleat locum quadratum, implebit quoque quadrangulum, quantumvis latera coarctentur. Hoc autem intelligitur, nisi figura corporis obstet. Potest enim liquor aliquis, ita crassus esse suâ naturâ, ut non possit in quadrangulo nimis arcto collocari. Quare sumamus, cui rectè istud non repugnat. Quod quùm ita sit, Angelus verò prorsus non habeat figuram, nihil equidem video, quod impediatur, quò minus in quadrangulo augustissimo possit simul esse hic & alibi. Tandem si corpora haberent Genii, erunt vel homogenea, vel heterogenea. Homogenea & simularis naturæ esse non possunt, quia ad tam varias legationes, quas sustinent genii, diversis organis indigent. Implicat autem homogeneum esse, & variis organis uti. nec heterogenea esse possunt corpora illa, nam hâc conditione Genii ab ipsâ animâ hominis longè superarentur, ut quæ horum plane non indiget. Denique placet hic gravissima Lutheri pietas, qui ubi ex descriptione illâ Apostoli instar horridi cujusdam & immanè rugientis Leonis, denuò præsentasset malum illum Genium, ita judicat: S. Petrus streicht den Teuffel die rechten Farben an/ und saget/ er gehe umb uns her/ wie ein brüllender Löwe / da ist er ja besser abgemahlet denn wenn ich lange disputiret, und mich bekümmert / ob er auch Kopff oder Nasen habe / wie sie davon genarret haben. Ineptiunt E. qui Angelos ut sic, extra Scripturam constituunt, definiunt, & fufius, uti ipsis quidem videtur, exponunt. Quomodo enim illud, quod à Spiritu S. immediatè aliis inspiratum olim est, in naturali quadam disciplinâ commodè tractari & explicari poterit. Aut enim Theologia Philosophiâ aut Philosophia Theologiâ commutanda erit. Id quod utrumq; non sine salutis æternæ periculo intenterunt olim Scholarum doctores.

5. Quoniam igitur exesse debent è Physicâ Genii, ad quâ disciplinâ aliam, nisi ad Metaphysicâ, aut pnevmaticâ potius spectabunt? & prius quidem B. Martini, Scheiblerus, & alii fortè exemplo suo docuerunt. Quanquam quod Sanctissimi illius viri labores attinet, aliter sentiendû sit, uti enim ille integrâ Philosophiâ pristino suo nitori reddidit, & ab Rami & aliorû argutiis princeps masculè quondam asseruit; Ita & perfectissimam omnium pnevmaticam dare poterat nobis. Neglexit tamen id omne; an quia, quod ipse

B

testatur

Tom. 5. Je-
nens. p.
4336.



estatur, illa particularia, quæ de Deo naturaliter intelliguntur, sunt valdè exigua; ideò & totam doctrinam de Deo naturalem in Metaphysicâ commodè proponi; an quod altâ mente Theologiam præcipiebat secum, dimisso omni humili, quod erecto ingenio sordeat; Cæterùm Scheibleri sententiam, ob abstractiones illas, quas fecit, non excusamus adeò, & quia eadem corrigitur ab aliis passim, ideò Auctori eam, sed ab aliis refutatam, remittimus iterum. Fatetur præterea idem hic Auctor, quando ad aliam quæstionem, *an Angeli sint æterni*, respondet, lumine naturæ non constare, quod facti sint in tempore, & non fuerint ab æterno. Nam imprimis *inquit*, per lumen naturæ cognoscimus exemplo Solis & luminis, effectum posse esse coævum suæ causæ, unde repugnantia nulla, vel ex parte Dei, vel ex parte creaturæ, ut hæc sit Deo coæva. Ejusmodi quæstiones multas alias, inutiles tamen, uti hæc ipsa est, apud Scholasticos affatim invenies. Denique potestatem liberam fecit omnibus exercendi vires suas in hæc materiâ B. Martini, & rationes illorum, qui diversam à Metaphysicâ disciplinam, de Deo, Geniis, aut Spiritibus & animabus constituunt hodie, non esse de nihilo, expressè assertit. Relinquitur E. id, Genios sive Spiritus illos inter Deum & animam intermedios, ad pnevmaticam, tanquam ad coloniam suam, esse deducendos. Nemo tamen, opinor, expectabit à nobis, ut denudò firmemus hanc scientiam, & novis argumentis eam astruamus iterum & solidemus; factum id ab aliis ad satietatem usque, & argumenta illa omnia, quæ circumferuntur hujus rei causâ aut certa satis sunt, aut incerta; si certa & apodictica, habent illi Auctores quod volunt, si incerta & probabilia saltem, nobis profectò meliora nunc non suppetunt. Præterea tamen dicimus, grande præjudicium causæ Pnevmatice accedere ab illis, qui conceptû Spiritus ut sic, in infinitum & finitum analogicum, aut negligunt planè, aut tamen in dubium vocant. Quia enim formale objecti pnevmatices diversum est ab omnibus disciplinis aliis & nullum objectum alterius disciplinæ dubiû sit aut æquivocum, ideò & huic conceptui asserenda erat sua veritas, sua unitas. Quod si id non est, sequetur in Theologiâ naturalide Deo, in peculiari disciplina de Geniis,

Geniis, in aliâ tandem de animâ nostrâ esse agendum. Et fateor
omniñò, qui indulgere huic materiæ de Geniis annueret adeò,
posse eum apud ipsos Patres & antiquiores Philosophos, & apud
antiquitatum scriptores, & illos denique, qui veritatem Christia-
næ religionis asseruerunt olim, egregia invenire, & modò non in-
gentia construere volumina. Et licet fortè quis Philologica hæc
esse contendat, & aliena philosopho; sciat tamen primò, quod
Philosophum, si afferat eloquentiam, non aspernetur Tullius, & si
non habeat, non admodum flagitet. Deinde, ne tamen quid desit
styli veteris in hoc ipso genere, assumet modò Scholasticos, qui
tantas subtilitates docebunt ipsum, quas ne per somnium quidem
cogitasset unquam. *Ita enim deformis ac fæda, & barbarâ tota ac in-*
quinata eorum oratio est, ut nemo elegantior paulò hoc sumat in ma-
nus, quin paucis versibus, vel obiter saltem perlustratis, totus nauseet at-
que cohorreat. Neq; profectò aliud omnem propemodum philosophan-
di rationem nobis obscuram & intricatam atq; difficilem reddidit,
quàm quod inventi nonnulli sint, qui plus tribuerent horum inusitato
latinis auribus prorsus monstruoso sermonis generi, ac vix auctorib; ipsis
intelligendo satis, quàm puræ aliorum ac eleganti orationi. Nam per se
satis difficiles cognitures, & velut squalentes tenebris, obscuriore ser-
mone exponere, id non monstrare, sed condere, non explicare, sed impe-
dire potius, & magis magisq; involvere est.

6. Quia tamen de conceptu illo Spiritus infiniti & finiti
diximus ante, quid alii auctores in eam rem habeant, afferemus
prius, mox nostram sententiam, aliorum iudicio tamen, concilia-
bimus. Ira B. Meisnerus part. 1. Phil. sob. *Non existimandum est, in*
quodam essentiali conceptu Creatorem & Creaturas convenire, &
iterum. Si Deum nomines Spiritum, non putes eum Spiritum esse, ut
sunt Angeli. Non enim in Deo tale quid reperitur, quale in Angelis,
ut ex illis possit fabricari unus conceptus rationis, exprimens naturam
quandam spiritualem genericam, Deo & Angelis competentem. Rur-
sus. Quando igitur de Deo prædicatur ens vel substantia, vel Spiritus,
non intelligas tale Ens, talemve substantiam, quæ latitudine suâ inclu-
dat unâ reliquas creaturas, sed singulare potius, totoque genere ab o-
mnibus diversum Entibus Ens, b. e. Ens primum, summum, æternum,
infinitum, nulli creaturæ, ex nullâ parte, nullâque generis analogiâ

lib. 1. de
finibus.

A. Buchp.

sect. IV. e.
IX. p. 1168.

c. III. 195.

part. II. c. 2

probl. 3. P.
354.

c. IV. p. 46.

competens. Consentit & B. Höpffn. Comment. in lib. Categ. Aristotelis. *Etsi convenientia quedam sit in vocabulis, ita ut Deus & Creatura vocetur Ens & substantia, Deus & Creatura aliqua vocetur Spiritus, attamen essentia Dei & creaturarum Spiritualitas, divina & Angelica nullatenus conveniunt.* Non aliter & Bartholin. ench. Metaphys. *Deus est Ens simplicissimum, quo nihil natura prius, quod cum rebus creatis aliis conveniat, & commuem constituat rationem. Et mox eodem loco: Spiritus de Deo $\sigma\pi\omega\rho\upsilon\mu\omega\varsigma$ dicitur: nec alia vocabulorum est copia, nec modus concipiendi subtiliter intellectui nostro finitur. At si res ipsa i. e. natura Dei consideratur longe alij de Deo merito formandi essent conceptus; Gemina his adducit Regius; Vocabulum Spiritus de Deo predicari potest, sed non univocè, verum equivocè, siquidem finitum & infinitum unius nature non sunt, & fit hoc ob nostrum concipiendi modum, & paucitatem vocabulorum. De Deo enim loquimur ita, ut de Creaturis, non quod ita sese habeat, verum quòd nos ob imbecillitatem rationis eum aliter concipere nequeamus, nec alia verba habeamus.*

7. Pulcherrimè omnium Mornæus in suo de veritate Relig. Christianæ, ut mirer etiam, quomodò in tam augusta sensa penetrarit unquam, & elocutus eadem iterum sit clarissimè. At enim illa omnia, *inquit*, & quæcunque alia homo de Deo cogitare possit, quantulò ad Deum accedunt, quàm procul ab ejus essentia absunt. Tribue Deo omnes virtutes, & quidem ut summus est, summo gradu; defectum tribuis & ejus gloriæ detrahis, quia de Deo nihil perfectè cogitare, nedum eloqui possis. Si enim virtutum illarum unaquæque finita est, non est Deus infinitus, qualis censendus est. Nec verò rursus infinita esse posset; quia unius ut ita loquar, infinitudo alteram coërcet & coarctat. Itaque concipiamus oportet simplicissimam aliquam simplicitatè, quæ in unâ virtute omnes complectatur, quod primâ facie absurdum videatur. Videlicet ut non sit providentia Dei magis providentia quàm justitia; nec justitia magis, quàm misericordia; nec cognitio magis cognitio, quàm vita; nec vita magis vita, quàm simplicissima essentia. In summâ, ut Deus Unum esse statuatur, quod & omninò & univocè sit omnia, totus actus, totus forma, totus perfectio ipsa &c. Id autem est, quod Deus ipse innuit, quùm de nomine rogatus respondet Mosis: Ego sum, qui sum. Quod nomen apud Judæos venera-

venerationis causâ, solis sacerdotibus, & solemnibus tantum festis pronunciare fas erat: nec id tamen Plotino omni ex parte satisfacere videtur. Dicamus bonum; Non sufficit. Bonus à bonitate bonus dicitur, & est, ut calidus à calore habet unde calidus sit. At Deus ipsa bonitas est. Omne verò bonum, à Deo bonum. Quin & bonitatem ipsam si dixeris, non facis satis. Bonitas enim in aliquâ omnino substantiâ subsistit, quum in Deo nihil concipi debeat, aut possit, quod non modò substantialiter, sed etiam supersubstantialiter sit substantia. Dicamus rursum. Deus videt, scit, intelligit: hæc designant tempus. Est autem, qui tempus creavit, & supra & extra tempus. Dicamus est hic aut illic: bis fallimur, quia qui locum omnem fecit, nusquam est; loco, inquam, contineri non potest. Itaque rectè Trismegistus omni nomine præstantiorem dicit: Salomo verò admirabundus exclamet. Quod nomen ejus? Neque enim potest quisquam concipere, aut edere vocem ullam, quæ Deo conveniat, non nomen, non verbum, non orationem integram, quia nimirum hominis essentia tempori, loco, accidentibus obnoxia, nil ultra se ex se potest, nil etiam supra se. Dices, Ecquis verò subtilitatum istarum tandem finis? Certè hoc unum de Dei essentia scire posse, quod nihil scimus. Deinde quæcunque de illa affirmantur, ei non quadrare: non veritatem, non sapientiam, non regnum, non unitatem, non Deitatem &c. Non quidquam eorum, quæ his nominibus designata, velimus. Denique ut mente Deum comprehendere non possumus, ita nec pro dignitate nominare, ne dum eloqui posse, ac proinde cum Trismegisto silentio nobis vocandum, & invocandum esse: Dicendum verò cum Davide. Domine tibi silentium laus. *Hactenus Mornæus.*

8. Fortè respexit huc Pythagoras, qui primùm Leontem Sicyoniorum sive Phliasiorum Tyrannum egregiè docuit, Deum solum sapientem, homines autem sapientiæ deditos, non sapientes, sed modestiore vocabulo, Philosophos, hoc est, sapientiæ studiosos esse compellandos. Imò Plutarchus idem asserit, Socratem

Tomo 2. o-
per. de pla-
cit. Phil.
p. 881.

& Platonem in hoc convenisse & utrumque docuisse olim, unum
singulare & per se subsistentis naturæ, ac solitariū reverà bonum,
esse, omnia autem reliqua nomina ad mentem referri. Distin-
ctionem Pythagoræ inculcat etiam sapientissimus Romanorum,
Cicero, quum sapientiam perfectum bonum mentis humanæ,
Philosophiam verò sapientiæ amorem & affectationem esse ait.
Hæc potissimum ratione, *neque enim fieri potest, inquit, ut idem sit,
quod affectatur, & quod affectat. quomodo multum inter ava-
ritiã & pecuniam interest, quum illa cupiat, hæc concupiscatur. Sic in-
ter Philosophiam & sapientiam, hæc enim illius effectus est & premium,
illa venit, ad hanc itur*: Ita & Stoici in sapientiæ studio alios esse
προσκοπτοντας, alios *τελείς* tradūt. Hunc *τέλειον* ipsorum sapien-
tem, de quo mira prædicant, rarum esse inventu, imò nec inven-
tum unquã, ad eam, quam exigunt normam, fatentur, ut nec per-
fectum oratorem dicendi Magistris. Quod idem dicere liceat, de
quibuscunque artibus & doctrinis. Pro perfecto tamen est, qui per-
fecto proximus. Explicat tandem omnium optimè Pythagoræ
mentem CL. Salmasius, *quod Deus solus verè sit sapiens, ait, hoc
non prohibet, quin homines laudentur tanquam sapientes, eo modo,
quo esse ac dici tales possunt, sic Deum solum esse ἀγαθόν ac dici
debere Dominus ipse dicit. Homines tamen ἀγαθὸς sæpe vocamus
Viros bonos, qui de Dei imitatione boni sunt, in quantum esse possunt.
Ita ergò & τέλειοι homines pro captu suo efficiuntur imitatione DEI,
qui est solus verè τέλειος & à quo omnis τελειότης procedit, que in
hominem potest cadere.*

9. Sed quorsum auctoritates illas, dicet aliquis, quas Phi-
losophus non adeò moratur, rationibus utique agendum erat,
quò minus conceptus ille probetur aliis; verum, quando tamen
has auctoritates allegavimus nunc, sæpe etiam ipsas rationes in
illis oeculuimus simul. Et quia nunc non inter articulos fidei,
aut res dogmaticas versamur, medii tantisper & neutri erimus, &
aliorum, & nostram sententiam de hoc conceptu proponemus.
Nos ita primò argumentamur. Quicumque conceptus reverà est
unus

unus, & in respectu ad sua quasi inferiora per prius & posterius
intrinsecè se habet, ille est analogicus. Conceptus Spiritus ut sic, re-
verà est unus & ad quasi inferiora sua, Spiritum infinitum & fini-
tum, per prius & posterius intrinsecè tamen se habet, E. Major pa-
tet ex descriptione conceptus analogici; Minorem probamus ex
definitione Spiritus, quia & Spiritus infinitus essentialiter est Spi-
ritus, & substantia immaterialis, & Spiritus finitus essentialiter est
Spiritus, & substantia immaterialis. Verùm adversarii statim re-
spondent, se non satis mirari, quod non deprehendamus vitium
minoris, minorem enim esse falsissimã. Quæcunq; debet habere
definitionem eandem, debent etiam habere eandem essentiam. Jã ve-
rò recurrere illud, an Deus & creaturæ participet de uno cõceptu es-
sentiali, id quod se sibi imaginari non posse apertè fatentur, vel e-
nim dicunt finitum infinitum, vel infinitum finitum redderetur,
si proportio ulla inter finitum & infinitum dari posset, & notum
esse aliàs, quod essentia Angelica & humana infinite distet ab es-
sentiali Dei, & tantum ut effectus ad causam sese habeat. Excipimus
nos, illos non rectè abstrahere, & distinguendum esse inter essen-
tiam ultimam & non ultimam, valere id de essentiã ultima-
tã, non vero de non ultimã. Sed tamen respondent illi, se non
posse, nec debere abstrahere, quandoquidem in Deo nihil sit, quod
non sit ipse Deus, esse Deum Ens simplicissimum, ut non possit da-
ri simplicius, esset autem Ens adhuc simplicius DEO, si conceptus
à Deo & creaturã rescinderetur. Deinde, licet conceptus ille in
intellectu saltem hæreat, id tamè attendendum esse, nẽ aliud con-
cipiamus, aliud dehinc loquamur. Quid enim esset, si aliquis no-
bilem aut eruditum animo se ferret, & extra intellectum omnium
miserrimus & stultissimus etiam haberetur. Pictores, quando i-
deam quandam menti suæ impresserunt, id unice intendunt, ut
eandem efforment, & reddant iterum convenientissimè. Conce-
ptus enim semper debet respondere rei extra intellectum existen-
ti; & quod in intellectu falsum est, etiã extra intellectum falsum
manet. Falsum autem esse inferunt, ullam particulam, ullam scin-
tillulam, imo ullum punctum divinæ essentiæ in Creaturis uspi-
am apparere. Ad distinctionem illam inter essentiã ultimã &
non

non ultimam quod attinet, observandum, quod non ultimata
ea sit, quando Deum ut purum putum ens considero abstractum,
ab omnibus attributis aliis. Ultimata, quando Deum ut ens divi-
num, increatum, immensum, æternum &c. concipio mecum.
Sed hic denuò respondent alii, semper peti à nobis principium. Id
enim esse adhuc in quæstione, an talis essentia non ultimata per
intellectum nostrum formari debeat. Se nunc de eo sollicitos nihil
esse dicunt, quid fiat, sed quid fieri debeat, sed nec de possibilitate
hujus conceptus analogici præcisè rem esse, sed an in hoc negotio
cum Scholasticorum turbâ adeò disertis nobis esse liceat, quæri?
Id certum esse supponunt, veritatem non à conceptibus, sed à re-
bus ipsis dependere. Licet igitur cogitem ego Deum ut merum a-
liquod ens contrahibile cum entibus creatis. ideò tamen hoc ve-
rum statim non est. Non enim quod cogito me esse, ideò & sum,
sed quod revera sum, ideò sum. Ita non ob meum conceptum en-
titatis communioris Deo & creaturis conceptus ille analogicus
aliis obtrudendus erat, sed tùm demùm, si natura Dei & essentia
hominum, id insimul pateretur. Jam verò, si quis seponat pauli-
sper vanam sui credulitatem, & cogitare ritè incipiat Deum, ille
vel alia omnia addiscet prius, aut sui planè obliviscetur, antequam
analogiam inter Deum & Creaturas arripiat. Vndè ita Augustinus
ad Deum; *Inspexi cætera infra te, & vidi nec omninò esse, nec omninò
non esse; esse quidem, quoniam abs Te sunt, non esse autem, quoniam id,
quod tu es, non sunt. Id enim verè est, quod incommutabiliter manet.*

10. Tertiò excipimus hunc in modum, quod si non liceat
formare conceptum istum analogicum, cur tamen attributa, quæ
tamen in Deo non sunt, effingamus? Respondent illi, longè aliam
esse rationè cum attributis Dei, nam attributa illa omnia omninò
à parte Dei non distinguuntur, concipi tamen benè possunt à no-
bis ideò, quia in essentiâ Dei desinunt. Contrà in hoc conceptu à
Deo ad Creaturas analogicè progredimur. Jam verò in creaturis
differunt habere essentiam & essentia ipsa, quæ tamen in Deo pla-
nè idem sunt; nec hoc tantùm, sed in essentiâ humanâ dantur
perfectiones ab essentiâ distinctæ, in divina autem essentia hæc
sunt ipsæ suæ perfectiones, & vicissim ejus perfectiones, sunt ipsa
ejus essentia. Ultimò tandem illud urgemus, quod neglecto hoc
con-

conceptu analogico, sequatur Deum non esse creatorem amplius, aut tamen æquivocè Creatorem; quia enim Creatio est processus à non esse ad esse, nos igitur, quum nihil simus ex illorum sententiâ, nec habebit quidè Deus in quo majestatem suam exserat, aut ostendat se Creatorem. Respondent illi, non entis nullas esse affectiones, quia igitur Creatio in Aristotelis Philosophia (ut qui mundum æternum credidit) habeatur non-Ens, ideò ponet tantisper fasces suos Philosophia & in naturam potius dominabitur. Deinde, qui negat aliquem hoc modo esse, ille negat eum omni modo esse, quæ hæc sit consequentia? Præterea dicunt, posse nos vel absolutè, vel etiam comparatè considerari. Absolutè consideratos nos non esse nihil, sed in suo genere esse aliquid, comparatè autem & in ista analogia, quia de divina essentia, ne hilum quidem participemus, esse simpliciter nihil, aut si secus esset, tunc nos non homines, sed ipsissimos esse Deos, qui soli non falluntur. Infallibilem autem aliquem, & errare nescium affirmare, nos quidem nostra vetat fragilitas; quâ sic nati sumus, ut nusquam non labamur omnes; ac culpâ omninò vacare, humanitatis modum ac spes longissimè superat. Illi se tales jactent, quibus major humanâ sui est fiducia nos lapsus atque errores non deprecamur, quod in naturam illud nunc planè vertit, hærente semper principe labe animis.

II. Fatetur alibi Aristoteles, habere, cur forti excelsoque sint animo, qui rectè de rebus divinis judicant. At verò Aristoteli hæc dignitas perpetua non fuit. Ipse Aristoteles enim, quum primum philosophari inciperet, ex communi rerum naturâ & rectâ ratione omnia desumpsit, imò præterea & ea, quæ legerat fortè alibi, vel acceperat ab aliis etiam, nisi satis probarent se rationi suæ, rejecit illicò. Quicquid ecòtrâ divinius & Deo convenientius magis judicabat, ad Metaphysicam tanquam ad Biblia sua retulit unicè. Quia igitur certissimum illud, quod B. Hutterus reliquit.

quid sit Deus ratione essentia, nullâ ratione, vel ex lumine nature, vel ex principiis, sive rationibus philosophicis, ne quidem ex minimâ particulâ disci aut cognosci potest. Ideò Aristotelem etiam in rebus naturam transcendentibus perpetuò sequi non possumus, nec debem⁹. Ipse ille conceptus analogicus eruditissimis viris non satis probatur. nam analogia, quæ est attributionis intrinsecæ, non negat veri-

Loc. Theo.
p. 92.

C

tatem



tatem rei, & præterea, quæ de substantiâ & accidente per instantiam nobis objiciuntur, quantum ego quidem nunc intelligo, ad Andromachen nostram aut parum, aut nihil faciunt. Aristoteles rerû cacumina trutinâdo prius, in duo divisit omnia, quæcunque in orbe hoc invenerat, in substantiam nempe & accidens. De utroque pro & contra digladiari licebit aliis. At nobis profectò multò sanctior Dei cura est, quàm ut eam hac parte cum disputationibus cæteris merè scholasticis seu speculativis censeamus: quibus in utramque sæpe partem impunè pugnatur; neque possumus non, nisi seriò de ea re disserere, unde omne nostrum esse hodiè dependet. Cæteræ disputationes sæpè exercent ingenia, ac jucunditate, quadam discordi distinguuntur. Hæc sola fidem ac severitatem amat, quam & IIX. Lex collocutoribus mandat. Illi quoque, qui veram philosophiam non simulatam affectant, nihil temerè in disputationem vocant, nisi unde fructum aliquem humana vita aut scientia nostra referat. inanem existimantes gloriam, facere quicquam, quod utilitate careat. Quò fit, ut cum amotis nugis atque acriculis illis, quæ non alio fine discuntur, quàm ut dediscas senex, nunquam sine plurimorum præjudicio tali, nec unquam tamen sine laude agant. Quando verò in Aristotelis Metaphysicis de finito & infinito, creato & increato, dependente & independente legimus, non ideò statim analogicum quendam conceptum, sed cõmunem potiùs, & generalem formamus nobis. Sicut enim supremus Spiritus, à nullo intellectu potest cogitari, sed per similitudinem perfectionum finitarum concipitur; Ita & Deus per esse, quod generalissimum in creaturis est, à nobis cognoscitur, & sic essentia, quasi generalissimū quoddam est, cum tamen esse in Deo non sit, & extra Deū nō sit aliud esse, nec sit commune cū aliis, nec in eodem esse & essentia distincta sint. Uno tandē verbo: Consideratur ille cõceptus Analogicus vel in actu signato, vel in actu exercito. In actu signato, quatenus in Metaphysicis, Pnevmaticis, Gnostologicis & aliis disciplinis proponitur. In actu exercito, quando exit has Scholas omnes. Et in Metaphysicis quidē sedulò frequentandæ ejusmodi hypotheses, ex quarum concessione in rei veritatem penitus penetramus. Sed si quis crederet, Deum quia est Ens in Metaphysicis, & recurrit cum Uno, Vero, Bono, ideò nihil excellentius habere in bonitate illâ essentiali, quàm nos habemus, ille e-

le egregiè fallit, quia, uti ad oculum patèt, solus Deus est, nos verò olim non fuisse non ignoramus. Facit huc disputatio Theologorū, an attributa essentialia Deo & Creaturis ullo modo convenient? De quâ alibi. Præterea ita credimus nos, conceptum illum de Deo esse omnium optimū, quando & præsentissimum eum nobis & interesse operis nostris perpetuò, apud animū statuimus probè. Neque enim ex alio principio, divina ingenia æstimanda sunt, quàm quæ sectantur præclarè, & exprimunt etiā illud; UNUM EST NECESSARIUM, HOC AGAMUS. Tantū de Geniis, nos hic cœlestium Geniorum repetimus illud & dicimus,

ut sit

SOLI DEO GLORIA.

Ad Literatissimum Respondentem.

SCULTET! tectus clypeo GENIALIA tentas

Prælia, & ingenij ducta pericla facis:

Applaudo, lætusq; tuis congratulor orsis

STEURNAGELI, tibi quæ grandia ferta ferent.

AUGUSTUS BUCHNERUS.

Dum Tibi præsentis Genios, promptissima semper

Agmina, & in nostros officiosa Lares

Sistis, quid tanto versus deposcis honori?

Rem satis antiquæ religionis agis,

Et dignam pietate Tuâ. Cœlestia versant

Cœlestes animos, & super astra ferunt.

Et quid enim melius, quàm quæ charissima quondam

Credimus, assiduâ volvere mente domi!

CHRISTIANUS TRENTSCHIIUS, P.P.

COElestes Genij, seu vos collegia vestra

Tangunt unanimes, seu nunc aliena fatigant

Officia attentos, certè non deside cultu

Excipitis nostrum genus. ô vos inter alumnos

Ætheris, hospitiumq; vetus per longa dierum

Intervalla agitis, vos optimus ille Creator

Non frustra vel fortè dedit, quando omnibus esse

Concesit Natura parens in tempore primum

Vos finxit divina manus, seu mersa tenebris



Sidera adhuc, certos seu didit a singula in orbis.
Nos latet hoc, nostrig, fugit commercia sensûs
Indeprensa fides. Quicquid Scriptura silebit,
Id nescire pium est. Sat nosse, quod omnia nobis
Per Genios bene sint, quodq, ista potissima cura,
Impositas præstare vices, studiumq, fidele.
Gentiles etiam, qui luminis hujus egeni,
Quod nos serò quidem, sed nunc tamem omne tuemur,
Subsidii cælestis opem mortalia nostra
Credebant ambire prius. Nunc inter Olympum
Et terras quicquid circumstat, protinus illud
Mentibus adscripsere piis, has currere utring,
Atq, Dei supplere vices, hominumq, solutas
Acceptare preces, & per rapidissima Cauri
Murmura porro sequi. Sic & nascentibus olim
Se nobis dant sponte suâ. Quin regna beatum
Ex geniis sibi nacta ducem, quem mittere verò,
Id malè mulctatum est. Tandem gyrare ruentes
In se stellarum motus, & vertere retrò
Fertur Aristotelis sententia prima fuisse.

Nos meliora tamen. Nam quid temeraria tantum
Imponat ratio, non nos natura docebit
Esse prius Genios, matrum dum volvimur ulnis,
Et modò cantatos insomnes discimus hymnos,
Hec sensim arripimus, mox hinc Ecclesia letis
Augmentis id firmat, & omnia suggerit una.
Sed tu, magna tui requies & cura parentis,
STERNAGELLI, animos & vires ocyus affer.
Non sanè exiguum tendis bellator in hostem,
Tota tibi Natura fremit, versatilis, effrons,
Tunc, si quando Deum, Genios, & cætera sacra
Sola sibi monstranda rapit; quin impiger insta,
Et similem te finge Deo, vel si tibi credis,
Et Geniis te crede parem, nec falleris omnis:
Nam quando Genios post fata referre docemur,
Quur non illorum nunc exemplaria simus?

M. JOH. FRID. SCULTETUS.


✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



20

124

Geniis

disputabunt,
D. SCULTETUS,
 &
NUS Steurnagel/
rtij. cl. l. c. LIIIX.
 L. Q. C.

EBERGÆ,
 HANNIS HAKEN.

J. Bontz

